SPECIMEN PHILOLOGICVM,

in Genes. XXV. 18 & Matth. XI. 12.

QVOD

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO DOMINO

PRAESIDI

MAGNIFICIS, MAXIME REVERENDIS, AMPLISSIMIS AC CONSVLTISSIMIS, DOMINIS PROTO-SYNEDRII REGIO-ELECTORALIS DRESDENSIS CONSILIARIIS ET ASSESSORIBVS SPECTATISSIMIS DOMINIS AC MAECENATIBVS SVIS

OMNI PIETATIS CVLTV

PROSEQVENDIS

SVBMISSE OFFERT

IOHANNES CHRISTIANVS BAVMGARTEN,

CANTOR PENICENSIS.

MISENAE, Ex Officina Lorvviana.

. diss. A
-, 55

24. A. 144 (55.)

Sächs.
Landes-
Bibl.

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn349658692/2
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

ℜ. ω.

DISSERT. I.

IN

GENES. XXV. 18.

§. 1.

SCriptor divinus Moſes, cum Iſmaëlis Abrahami filii tum liberos, tum mortem narraviſſet, hunc orationis finem facit: על פני כל אחיו נפל. Qvæ verba, qvid ſibi velint, eruditi, qvemadmodum ſolent, qvæſiverunt.

§. 2.

Interpretum celeberrimi, qvos inter & b. Lutherus eſt, mortem Iſmaelis illis deſcribi exiſtimantes, hunc ſenſum eliciunt: *Coram omnibus fratribus ſuis* i. e. omnibus illis adhuc ſuperſtitibus, *cecidit* ſeu mortuus eſt.

§. 3.

Liceat autem rationes, qvæ hanc explicationem, si non falsam, dubiam tamen & incertam reddere videntur, in medium proferre:

1) Verbum נפל significat qvidem interdum *mori*, strictius tamen sumendum esse, qvam מות, exempla mox citanda, docent. Etenim mortem non naturalem, qvietam & placidam, qvalem Ismaëlis fuisse e v. 17. concludimus, sed præternaturalem, cruentam & violentam denotat. cf. 2. Reg XIV. 10 2. Paral. XXV. 19. Ps. LXXVIII. 64. XCI. 7. Exod. XXXII. 28.

2) Qvia versus proxime antecedens Ismaelis obitum non obiter, sed accurate, nobis sistit, qvare, paucis interjectis verbis, iterata ejusdem mentio fiat, ratio nulla reddi potest.

3) Cum in priori hemistichio Imperii Ismaëlitici fines, late omnino patentes, describantur, in posteriori autem (secundum hanc sententiam) tristia fundatoris fata, nexus qvidem inter utrumqve deprehenditur, sed scopo scriptoris non plane conveniens.

§. 4.

Has qvidem, non autem omnes difficultates evitare censeo, illos qvi sub נפל, voculam *Sors* subintelligentes, reddunt: *Cecidit*, scilicet, *sors ejus*, i. e. non procul habitavit a fratribus suis: Sors illius propinqva erat hereditati fratrum suorum. Hanc sententiam amplectitur Dachsel. in Bibl. Acc. P. I. p. 183, qvi simul præter cæteros ad D. Zeibichium, in Bibl. Exeg. vocem נפל pro *habitavit* accipientem, eamqve notionem ex Jud. VII. 12. probantem, provocat.

§. 5.

§. 5.

Commendat hanc explicationem facilis & perſpicua cum antecedentibus connexio, qvæ, qvemadmodum in omni Exegeſi, ita præcipue in ſacra, probe eſt conſide anda. Præterea illam egregie confirmare videtur ſermo angeli, de Iſmaële in utero matris adhuc latitante prænunciantis, qvod ſuper facie omnium fratrum ſit habitaturus, Gen. XVI. 12. qvæ verba cum noſtris ferme conveniunt, niſi qvod pro נפל ibi שכן uſurpatum ſit.

§. 6.

Tantum autem abeſt, ut, qvod hanc ſententiam labefactet, nihil adeſſe qvis putet, ut potius varia illi objici poſſint. Nam

1) Integra qvidem phraſis *cadere in hereditatem* ſeu poſſeſſionem Num. XXXIV. 2. Joſ. XIII. 6. Ez. XLV. 1. Pſ. XVI. 6. (qvæ inde orta eſt, qvia projectis ſortibus partiebantur terram. Flac. p. 93.) nulli neqve obſcuritati neqve dubitationi obnoxia eſt: Exinde autem non ſeqvitur, qvod eadem poteſtas, qvam tota Phraſis habet, verbo *cadere* ſimpliciter, ita ut nec terra acqvirenda, nec acqviſitionis modus adjectus ſit, attribui non poſſit ſolum, ſed & debeat.

2) Cum ſortitio ſeu diſtributio regionum res ſit maximi momenti, & ſpecialem DEI providentiam manifeſtet. Prov. XVI. 33. ad deſcribendam illam Spiritus S. procul dubio verbis uſus eſſet, factum tam memorabile clare & evidenter exponentibus, qvemadmodum alibi factum eſſe ſcimus. Gen. X. 25. Num. XXXIII. 54. Joſ. XIV. 2.

3) Abra-

3) Abrahamum liberos ſuos donis donatos largis ab Iſaaco bonorum ſuorum herede unico, dimiſiſſe Gen. XXV. 6. refertur, diſtributionis autem per ſortes nulla fit mentio.

4) נפל idem valere qvod שכן, demonſtrari non poteſt. Neqve id Jud. VII. 12. probat. Nam qvod ibi de Midianitis, Amalekitis, aliisqve gentibus dicitur, qvod *ceciderint invallem*, invaſionem potius diripiendi & devaſtandi cauſa factam, qvam habitationem perpetuam indicat. cf. Jud. VI. 3. 4 5.

§. 7.

Utrum conjectura, qvam nunc proponere animus eſt, aut minoribus prematur difficultatibus, aut majori probabilitate gaudeat, qvam, qvas contemplati ſumus, ſententiæ, harum rerum periti judicent. Fundamenti loco conſtituo Canonem, cujus & veritatem & inſignem uſum nullus unqvam Philologorum in dubium vocavit: *Verba ſimplicia apud Hebræos habent ſignificationem Compoſitorum.* Glaſſ. Phil. S. p. 742.

§. 8.

Verbum נפל qvemadmodum *decidere* 1. Sam. XIV. 45. *excidere* ſeu *deficere*, Jer. XXXVII. 13. 1. Par. XII. 19. ita etiam *incidere*, *invadere*, *irruere*, germ. überfallen, einfallen ſignificat Gen. II. 21. 1. Sam. XI. 7. Hoſ. X. 8. Ezech. VIII. 1. qvibus in locis cum particula על conſtructum legitur.

§. 9.

Ultima notione verbo נפל ſubjecta hic progignitur ſenſus: Ceciderat autem ſuper faciem omnium fratrum ſuorum i. e. Omnibus fratribus ſuis bellum intulit, crebrisqve invaſionibus tamdiu vexavit, usqve dum armis eos coerceret, atqve ter-

terram eorum occuparet Germ. Er war ihnen auf den Hals gefallen, vel zu Leibe gegangen.

§. 10.

Sed qvinam fratres illi fuerint, qvos Ismael adgressus est & subegit, merito qværitur?

Qvia Ismael ejusqve posteri illum terræ tractum coluisse dicuntur, qvi e regione Ægypti seu illi propinqvus erat, Gen. XXV. 18. Ægyptios inprimis intelligendos esse puto, qvippe qvos Ismaëlis cognatos & consangvineos (qvi sæpe in S. S. fratres appellantur, nomine latius usurpato, Jud. VI. 1. 1. Par. XII. 29. alibiqve) fuisse, inde patet, qvia tum mater ejus, Gen. XVI. 1. tum uxor Gen. XXI. 21. ab illa gente originem traxerunt. His si fratres Ismaelis strictiori sensu tales, scilicet liberos, qvos ex Ketura suscepit Abrahamus, qvis adnumerare velit, nihil, qvod vel falsum, vel improbabile dici possit, affirmare videtur. Posteros certe Abrahami ex Ketura progressu temporis Ismaelitis ita esse intermixtos, ut cum his unam gentem Arabum nomine inclarescentem constituerint, docet b. Budd. Hist. Eccl. V. T. P. I. p. 241. & 375. seqv.

§. 11.

Nec prætermittenda sunt verba על פני, de qvibus brevem explicationem dare juvat. פנים ut & alia qvædam substantiva in statu regiminis copulata, interdum πλεονάζειν pronunciat qvidem b. Glassius: priusqvam tamen Canonem exemplis probare adgreditur, hoc præmittit monitum: *Hic autem*, inqvit, *Pleonasmus de lingva intelligendus, in qvam fit translatio. In ipso enim Hebraismo elegantiæ potius & loqvendi idiotismo id adscribendum.* Hæc Glassius.

Affirmare ausim non elegantiæ tantum causa, qvæ πλεονάζειν putantur, verba adhiberi, sed etiam ad majorem involvendam Emphasin, qvam expedire boni esse interpretis semper existimavi. Agedum! Hujus rei periculum faciamus! Ismael adgressus est fratres suos. Hoc autem illis nec improvisum, nec inopinatum accidit, sed in conspectu eorum & tanta ferocitate id factum est, ut impetum ejus nec impedire, nec sustinere potuerint, fortasse etiam noluerint.

§. 12.

Restat, ut connexionem & scopum hujus narrationis eruamus & ostendamus. Scilicet, ne qvis miretur, qvi fieri potuerit, ut tam brevi temporis spatio imperium Ismaelis tanta ceperit incrementa, ut duodecim ejus filii, qvorum qvilibet principatum in civitate sua obtinebat, v. 16. longum terræ tractum possiderent, v. 18. causa additur: Pater eorum, cujus vestigia procul dubio & ipsi legebant, strenuus bellator fratres suos invaserat.

§. 13.

Qvare Spiritus S. res ab Ismaele gestas commemoraverit, alteram rationem hanc esse credo: Ut prædictionem divinam eventu probatam esse demonstraret. Angelus nimirum DEI, Hagari fugienti apparens, indolem & ingenium Ismaelis filii nondum nati, ejusdemqve fata graphice depingit? *Erit*, inqvit, *homo instar onagri: Manus ejus contra qvemcunqve, & cujuscunqve manus contra illum, qvinimo super facie omnium fratrum suorum habitabit.* Gen. XVI. 12. Qvid aliud prænunciat Jehovæ angelus, qvam qvod Ismael futurus sit homo strenuus, ferox & bellicosus, qvi non solum fratres suos bello sit lacessiturus, sed etiam subjugaturus, adeoqve vi & armis imperium sibi vindicaturus. En itaqve hujus vaticinii complementum hisce indigitatum verbis: עַל־פְּנֵי כָל־אֶחָיו נָפָל.

DIS-

DISSERT. II.

IN

MATTH. XI. 12.

Ἀπὸ δὲ τῶν ἡμερῶν Ἰωάννου τοῦ βαπτιστοῦ ἕως ἄρτι ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν βιάζεται, καὶ βιασταὶ ἁρπάζουσιν αὐτήν.

Vulg.

A Diebus autem Johannis Baptistæ usqve nunc regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

PRætermissis aliorum sententiis, qvas B. Wolfius in Cur. Phil. & Crit. recenset, meus de hoc commate qvis sit sensus, ea qva decet modestia, exponam, ratione tractandi hac servata, ut ostendam:

1) Qva occasione, qvæ simul scopum optimi Servatoris sistit, hæc prolata sint verba?
2) Qvid sit regnum cœlorum?
3) Qvo sensu hoc regnum dicatur βιάζεσθαι.
4) Qvinam sint βιασταὶ, & qva ratione hoc regnum rapiant?
5) Qvo tempore res, qvæ prædicantur, geri inceperint?
6) Qvomodo sensus hoc modo erutus cum consequentibus connecti debeat?

Cœptis faveat Summum Numen!

§. 1.

Integri Sermonis occasio ex antecedentibus facile cognoscitur. Johannes nimirum Baptista ab Herode, justam illius objurgationem ægre ferente, in vincula conjectus, duos disci-

pulos ad JEſum, cujus nomen fama per totam Judæam ſpargebat, ablegaverat, ut, qvid de Meſſiæ tum adventu, tum perſona dicendum credendumqve ſit, oculis cernerent. Hos poſtqvam ὁ ἐρχόμενος, multis & ſtupendis miraculis, qvæ Johanni adnunciari volebat, in eorum conſpectu perpetratis, dimiſerat, orationem ad populum dirigens, Johannem egregio mactat elogio, & dum eum Evangelii præconem primum nuncupat, tempus a Judæis anxie expectatum adeſſe ſimul docet, tametſi ad cognoſcendam & recipiendam ſalutem minime eſſent idonei.

§. 2.

Regnum cœlorum hic & alibi nihil aliud ſignificare, qvam regnum illud ſpirituale per Regem Davidem (qvo nomine indigitatur Meſſias Jer. XXXIII, 15. Ezech. XXXVII. 24) erigendum & ſtabiliendum, ſeu ſtatum illum felicitatis cum ſpirituali, tum æternæ per unigenitum DEI filium, humana indutum natura, omnibus hominibus acqvirendæ, iis per prædicationem Evangelii offerendæ & vere credentibus conferendæ, probant Matth. III. 2. Marc. XV. 43. Luc. IX. 60. Act. I. 3. aliaqve qvamplurima exempla, qvæ diligenter congeſſit & explicavit Flacius Cl. Scr. P. I. p. 1047. ſeqv.

Eqvidem Anonymus, qvi novam & ingenioſam commatis noſtri explicationem Collect. rerum novant. A. 1734. p. 130. inſeruit, per regnum cœlorum intelligi vult eccleſiam Judaicam, opera & ſtudio Johannis & Apoſtolorum expugnandam & deſtruendam.

Qvamvis autem ſæpius regni cœlorum, qvod & regnum DEI vocatur, in ſcriptis N. T. injiciatur mentio, nusqvam tamen

men ecclesiam Judaicam sub hac notione comprehendi, persvasissimum mihi est. Nec id maximopere mirandum. Etenim ecclesia illa a priori sua puritate defecerat, tamqve corrupta & depravata erat, ut splendida ista denominatione plane indigna non solum habenda, sed & habita sit.

Præstat itaqve hunc titulum ecclesiæ per CHristum & ejusdem Apostolos plantandæ, & omni genere felicitatis, maxime spiritualis & cœlestis, adornandæ & augendæ, eiqve soli, vindicare & adscribere.

§. 3.

Subjecto Propositionis primæ determinato & definito, pergimus ad prædicatum, βιάζεται, cujus vocabuli notio erit evolvenda & demonstranda. Βία tam in sacris, qvam in profanis sæpius occurrit, & *vim*, *violentiam*, *coactionem &c.* significat. Act. V. 26. ἄγειν μετὰ βίας, violenter trahere. Act. XXIV. 7. βία τῶν κυμάτων, undarum impetuosa violentia. Act. XXI. 35. βία τῦ ὄχλυ, violentia turbæ. Qvod inde derivatur verbum βιάζειν est: *vim inferre*, *cogere*, hinc: βιάζομαι passive, *vim patior*, *vi compellor*, *cogor*, & qvæ sunt aliæ potestates, qvas Lexica docent.

Non semper autem hoc verbum plane violentam coactionem significat, sed aliqvando etiam studium & conatum voluntatem alterius promissis, minis, spe, metu, aliisqve, uti vocant, motivis, flectendi, alliciendi, & impellendi. Profecto discipuli JEsum, qvem qvidem non norant, Luc. XXIV. παρεβιάσαντο, non vi qvadam physica, sed ea, qva diximus, ratione, instando scilicet, orando & sollicitando. Qvomodo Lydia Paulum & Timotheum coëgerit, παρεβιάσατο, Act. XVI. 15. ex

antecedentibus cognoscitur. Ita etiam Sirac. XXXI. 24. εἰ βιάσθεις ἐν ἐδέσμασιν, *si coactus fueris*, non physice, sed, qvemadmodum loqvi amant, moraliter, *in Epulis.* Hoc modo ἐναγκάζειν illud, qvod adhiberi vult Optimus Servator, Luc. XIV. 23. explicandum esse, res ipsa docet, licet in alia omnia discedant Pontificii ut Tyrannidem in hæreticos, qvos sibi fingunt, exculent & defendant.

Et hæc est illa vis, qva ad erigendum & stabiliendum regnum cœlorum Johannes, & qvi eum seqvebatur, ipse Messias utebatur. Hoc est illud ἐναγκάζειν, qvod adhiberi vult cœnæ splendidæ auctor, Luc. XIV. 23. Sed, ut, qva ratione regnum cœlorum dicatur βιάζεσθαι, intelligatur, conferamus locum parallelum Luc. XVI. 16. ubi verba sic fluunt: ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ εὐαγγελίζεται, καὶ πᾶς εἰς αὐτὴν βιάζεται, qvæ reddo: *Regnum DEI per prædicationem Evangelii manifestatur, & qvisqve in illud impellitur,* seu, omnes, ut huic imperio sese subjiciant, qvacunqve fieri potest, ratione, excitantur & adiguntur. Explicat itaqve Lucas Matthæum. Utrobiqve enim unum eundemqve esse sensum, nemo dubitabit.

Nihil igitur obstat, qvo minus commatis nostri priorem partem hoc modo vertamus & circumscribamus: Regnum cœlorum vi qvasi exprimitur: germ. Es wird erzwungen i. e. tam freqventer, tam studiose Evangelium prædicatur, tam exqvisitæ sunt rationes, qvibus ad probandum tum doctrinæ veritatem, tum necessitatem pœnitentiam agendi & credendi, novi fœderis præcones uruntur, ut hominum mentes, dummodo non prorsus sint læva, non leniter flecti tantummodo, sed cogi potius videri possint.

§. 4.

Pergimus nunc ad alteram commatis noſtri partem, qvæ his verbis comprehenditur: ἡ βιασαὶ ἁρπάζουσιν αὐτήν. Conjunct. copul. ἡ ſæpius pro adverſativa *ſed*, qvemadmodum Hebræorum uſurpari, docet Glaſſ. Phil. S. p. 1169. plurimisqve probat exemplis. Vox βιαστὴς unica tantum vice in N. T. invenitur, vi autem derivationis ſignificat *violentum*, ſeu hominem ad finem propoſitum conſeqvendum vi & efficacitate utentem: ἁρπάζειν vero eſt *rapere*, & cum verba ſimplicia haud raro poteſtatem compoſitorum habeant, *abripere*, *arripere*, Act. VIII. 39. 2. Cor. XII. 4, *diripere*, Matth. VII. 15. integra phraſis ἁρπάζειν τὴν βασιλείαν, arripere regnum, das Reich zu ſich reiſſen, nec profanis inuſitata eſt. Etenim de Juliani uxore, filia & paraſitis refert Herodianus, qvod fuerint περὶ πᾶσαν ὁδὸν συμβουλεύοντες ἐξῃρημένην τὴν ἀρχὴν ἁρπάσαι, *ut projectum a militibus & venale edictum imperium ad ſe raperent.* II. 6. Non ſine graviſſima ratione & egregia Emphaſi hoc tropo utitur Doctor cœlitus miſſus. Seria enim eaqve maxima opus erat induſtria. Siſtamus nobis ſtatum Judæorum ad audiendas ejus orationes confluentium. Qvibus qvælo præjudiciis, de regno Meſſiæ temporali, de legum Molaicarum æterna duratione, aliisqve non minus noxiis, erant infecti? Qvam difficile erat, relictis bonis divitiisqve pauperem JEſum ſeqvi? Qvæ & qvanta impedimenta abiis ipſis, qvi meliora eos docere debuiſſent, objiciebantur? Qvot injuriæ, calamitates & perſecutiones erant perpetiendæ? Non cuiqve itaqve adire licebat Corinthum. Non omnes, qvi corpore tantum ſectabantur JEſum, eum audientes & ejus miracula ſpectantes, ſed qvi ingenti ſalutis deſiderio flagrantes, media qvam fideliſſime propoſita & oblata

arripiebant, qvi βίᾳ τῶν Φαρισαίων ϗ τῶν λοιπῶν Ιουδαίων, invitis & repugnantibus Phariſæis, uti vocem βιασὴς explicat Raphel. not. Xenoph, p. 31. doctrinam ſalutarem amplectebantur, illi in regnum cœlorum irrumpebant, & per portam anguſtam vitam ingrediebantur.

§. 5.

De tempore, qvod Servator ſtatuit, nunc agendum eſt. Epocham hujus regni, per Evangelii prædicationem excitandi, conſtituunt Dies Johannis Baptiſtæ. Illam temporis periodum, qvam ſeculorum conſummatio & mundi ruina ſeqvi debeat, Judæi vocare ſolent Dies Meſſiæ, qvas hodie adhuc anxie qvidem, fruſtra tamen, expectant. Nobis autem, qvi JEſum Nazarenum verum & a DEO promiſſum Meſſiam eſſe, credimus, tempus illud jam præſens eſt. Qvod ſi vero primordia regni cœlorum & punctum qvaſi temporis, qvo Dies Meſſiæ ſeu, uti nos loqvimur, novum teſtamentum inchoandum ſit, determinare velimus, nullum aliud initium nobis erit deſignandum, qvam qvod ipſe deſignavit JEſus. Et qvodnam illud eſt? Dies Johannis Baptiſtæ, ſeu momentum illud, qvo Johannes, mandato divino obſeqvens, adventum Meſſiæ indicavit, homines ad ſeriam agendam pœnitentiam & ad credendum Evangelio, excitavit & adhortatus eſt, atqve doctrinæ evangelicæ aſſeclas baptizavit. cf. Matth. III. 1. 2. Marc. 1. 2. 3. 4. Et inprimis Lucas, qvi qvam maxime Chronologiæ rationem habet c. III. 1. 2.

§. 6.

Reſtat adhuc, ut, qvæ hactenus ſingillatim conſideravimus, membra, in unum qvaſi corpus colligamus, & tum inter ſe, tum cum

cum conſeqventibus connectamus. Ex dictis patet, comma noſtrum hoc modo reddendum eſſe: Ab illo temporis momento, qvo Johannes præconis officio fungi juſſus eſt, ad hodiernum uſqve Diem regnum cœlorum, cujus rector & adminiſtrator Meſſias eſt, excitari cœpit, omnesqve homines, ut illi ſe ſubjiciant, graviſſimis, qvæ Evangelium continet, argumentis moventibus adiguntur & impelluntur: Aſt vero non illi, qvi ſolute & negligenter agunt, aut qvorum induſtria mox langueſcit, ſed qvi indefeſſam animæ ſuæ curam gerunt, & omni non modo contentione ſed etiam dimicatione elaborant, iſtius felicitatis per Meſſiam acqviſitæ participes fiunt.

Duas has propoſitiones in conſeqventibus Servator ita applicat, ut v. 10-14. gratiam DEI, ſalutis effectricem, Judæisqve primum manifeſtatam, deprædicet, verſ. autem 16. ſeqv. illorum negligentiam, perverſitatem atqve obſtinationem graviter objurget.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn349658692/15 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Coll. chir. A 144, 55

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn349658692/16
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG